Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2029
Quelle:
Copyright:

243. *Fol.* 15. deest in Codice totus Titulus *de VII. Canticis* edit. p. 1084. *Fol.* 22. subplet Codex, quae desunt in edit. p. 1094. ad finem c. 43. videlicet: *quia et christum ea die suum ieiunium incepisse quem feria III. baptizatum cognouimus. Fol.* 23. omittit Codex c. 49. et 50. quae habentur edit. p. 1095. *Fol.* 29. p. 2. omittit c. 143. a verbis: *simul in eternum gloriantur;* et totum c. 144. Extant haec edit. p. 1106. *Fol.* 31. omittit c. 156. edit. p. 1108. *Fol.* 31. p. 2. Codex inter c. 162. et 164. quae habentur edit. p. 1109. loco c. 163. interserit aliud huc certe non pertinens de Significatione partium Missae, quod incipit: *Quae celebrantur in officio misse ante lectum euangelium respicientia sunt ad primum aduentum domini* &c. *Fol.* 45. perorat *Honorius: Sed jam tempus est calamum deponere* &c. ut in edit. Itaque Codex hic non agnoscit a prima manu alteram Peroratiunculam, cujus clausulam dedi P. 3. *supracit.* at vero paullo recentior calamus eam subplevit in margine, ubi incipit: *Ecce filie iherusalem quas delicias uobis preparaui* &c. et ad sacras Virgines potius quam Viros directa videtur. Prima porro manus non nisi interposita Rubrica: *In die sancto Pentecostes*, Συλλογιν Sermonum seu potius Materiam homileticam orditur, quae a dicto die usque ad *Ascensionem Domini* totum anni circulum decurrit hoc initio: *Verbo domini. i. per filium. celi ad literam vel angeli* &c. et fine: *quia uisitauit et fecit redemptionem plebis sue.* Multae in his piae Narratiunculae, quibus sponsorem agere nolis, nec ullus eorum cum praecedentibus *Liturgicis* nexus. Interim, ac si unum idemque Opus essent, terminavit rubro Librarius: *Explicit gemma anime ab Honorio compilata.* Ita res Autoris hujus nondum in vado sunt. Catalogum Scriptorum suorum ipse texuisse videtur in Opusculo *de Luminaribus Ecclesiae* L. IV. c. 17. Repetiit *Trithemius n.* 357. et *Bern. Pezius* in *Dissert. Isag.* T. II. *Thes. Anecd.* p. 4. Inter ea est *Refectio mentium de Festis Domini et Sanctorum*, item *Pabulum Vitae de praecipuis Festis.* At ea non extant, ait *Fabricius in Bibl. med. Lat.* L. 8. Quid si detecta sunt in hoc Codice, quamvis titulo destituta et per imperitum Librarium cum *Gemma Animae* perperam connexa?

DCCCXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 67. 4. charactere minori eleganter perscriptus et rubricis distinctus liturgicum *Honorii Augustodun.* opus est *Gemma Animae* inscriptum, et non semel a nobis relatum. Integrum hic legitur una cum Epistola praevia et Responso *Solitarii*, quo nomine *Honorium* compellat Librarius, item Epilogo, qui in Editis *Bibl. PP. Lugd.* T. XX. p. 1128. desideratur, et incipit: *Ecce filie iherusalem quales delicias uobis preparaui* &c. omnia a prima manu. R. 3328